Ch. Ravel
53050
4.

MELAENÆ HIPPOCRATICÆ GENUINÆ IMAGO, INDOLES, ET DIAGNOSIS SPECIALIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU

ILLUSTRIS ET GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTER. UNIVERSITATE BORUSSICA RHENANA

PRO GRADU SUMMISQUE HONORIBUS

DOCTORIS MEDICINÆ ET CHIRURGIÆ

RITE ET LEGITIME IMPETRANDIS

DIE VI. MAII MDCCCXXVIII

PUBLICA DISPUTATIONE TUEBITUR

JOSEPHUS LICHTSCHLAG

FÜRTHENSIS RHENANUS BORUSSUS.

BONNAE,
TYPIS H. KNIRENSCHILD.

6

19/11 58

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

VIRO

CLARISSIMO VENERANDISSIMO

CHR. FRID. HARLESS

EX GRATISSIMI ANIMI SENSU

D.

AUCTOR.

PRÆMONENDA.

Quum novissimis diebus tantae non modo sed tam variae vereque diversae de morbo Hippocratico nigro, sive Melaena splenico — intestinali vera quaestiones et controversiae a non paucis viris sagacissimis celeberrimisque agitatae sint et adhuc ventilentur, ut per hanc materiei exponendae controversam varietatem morbi ipsius notio et diagnosis, etsi latitudine sua admodum ampliata, tamen impeditior et difficilior judicatu, saltem tironibus, evadere videatur, equidem non prorsus inutilem nec supervacaneum laborem suscepturum me esse duxi, quum dissertationis inauguralis illud ipsum, quod suprascriptum est, argumentum eligerem. In hoc ipso consilio mihi praefigendo neutiquam id mihi sumsi, ut plenariam omnibusque numeris absolutam illius cachexiae sanguineae generis, quod solum melaenae verae nomine insignire licet, descriptionem diacriticam atque illustrationem pathologicam exhibendam molirer, quippe qualis labor tam virium modulum quam scriptionis huius academicae fines superaturus esset. Sed in eo tantum subsistere malui, ut melaenam *Hippocraticam* genuinam, sive talem, qualem *Hippocrates,* aut quisquis Auctor librorum *de morbis* sane egregiorum, etsi aliquanto serius compositorum, et ipsius Coi vatis nomen prae se ferentium fuerit, descripserat, et triplici specie sua distinguendas tradiderat, primum ex ipso contextu Hippocratico depingerem, tum comparatione huius instituta cum iis, quae recentioris novissimique temporis medici praestantiores de morbo nigro eiusque indolis formaeque varietate distinctius clariusque exposuerunt, non solum nosographiam morbi dicti, quam fieri possit, expeditiorem redderem, sed etiam ipsius a morbis quibusdam admodum similibus et revera plus quam uno titulo ei cognatis, speciatimque a splenitide, a scorbuto, a fluxu hepatiso, et a morbo caeruleo differentiam diagnosticam clarioribus lineis, etsi brevissimis tantum, exprimerem.

1

Quod vero ad illam morbi utique similis et quodammodo adfinis speciem, quam nuperrimi quidam medici Gallofranci, et aliqui Germanici, *Melanosin* κατἐξοχην vocare maluerunt, quamve praesertim V. V. Cl. Cl. *Laennec, Breschet, Bayle, Merat, Gohier*, et *Heusinger* singulari studio et observatione tam in hominum quam in brutorum (equorum) corporibus indagaverunt, et quam Perill. *Harless*, Praeceptor mihi pie colendus, *Melaenae pseudoplasticae tuberculoides* et *saccatae* nomine ut speciem secundam generis sui Melanosis stabilivit, de hac mihi in praesenti ideo non sermo erit, quod species haec, etsi generica sanguinis in hisce materiae nigrae coagulis vel saccis nodisve conditione degenere, et ad sepsin inclinante, multum saepe (modo non semper) cum sanguinis in genuina melaena Hippocratica vitiatione conveniens, neutiquam tamen per se sive necessario et constanti nexu pathologico cum modo dicto morbo Hippocratico conspirat: quin potius Melanosis ista pseudoplastica et tuberculosa *Bre-scheti, Merati*, et reliquorum adesse possit absque ullo melaenae splenico-intestinalis Hippocraticae vestigio; quemadmodum id luculenter demonstravit Cel. *Harless* (opere infra cit.).

Quod reliquum est, in hoc opusculo componendo operam dedi studiosam, praestantiorum fideque digniorum de Melaena tum Hippocratica tum recentiorum nec non de vomitu cruento morbisque reliquis cognatis scripta observataque evolvere atque comparare, iisque, quae ex hisce fontibus haurire licuit, meas qualescunque observationes et cogitationes, sicut etiam quorundam amicorum, almae huius musarum sedis alumnorum, de eodem argumento iam prius calamo exceptas adnotationes perlustrare atque in usum meum vocare. Maxime vero me in hoc labore utut levidensi concinnando dirigendoque adjuvit laudatum opus venerandi Praeceptoris *Harless* „*Neues prakt. System der speciellen Nosologie* etc. (*Tom.* II. *P.* I.)“, id quod grata mente profiteor.

Literatura Melænæ et Vomitus cruenti selectior.

Hippocrates περι νεσων, lib. II. sect. 70. 71. 72.
Aretaeus, morb. acutor. lib II. cap. 2.
Caelius Aurelian., Chronicor. l. II. cap. 11.
Columbus de re anatom., cap. 15. (Anatome prima. Vasa lienis admodum dilatata).
P. Forestus Observ. l. XVI.. 24. XVIII., 18.
Th. Boneti Sepulchret. Lib. III. obs. 70 sqq. et additam. obs. 7. 9. 10. 11. 13. Eiusd. Med. Septentrion., lib. III. 1. v. cap. 4. (Anatome).
W. Wedel Diss. Aegrum vomitu cruento laborantem sistens, Ien. 1713.
de Hasselt, Diss. de vomitu cruento, Argentor. 1719.
Fried. Hoffman, Diss. de morbo nigro Hipp. Hal. 1701.
Eiusdem. Diss. de vomitu cruento, 1729. Ambo Diss. insunt etiam operum omn. *Fr. Hoffmanni* Supplementor T. II.
Luther de vomitus cruenti indole et cura, Erford. 1732.
Büchner Diss. de vomitu cruento, plerumque per se non lethali, Hal. 1752.
Cammerlander Diss. de splenitide. Altdorf. 1758.
Schrader Diss. de morbo nigro Hipp. Rintel. 1764.
Morgagni de sed. et causs. morbor. Epist. XXX. Art. 14. XXXVI. Art. 11.
Lieutaud Hist. anat. med. Obs. 155.
Lorry, von der Melancholie und den scorbutartigen Krankheiten, 1770.
Tissot Wahrnehmungen über die schwarze Krankheit des Hippocr., in suis »Abhandlungen über verschiedene Gegenstände der AW., Helvet. p. 327. sqq. et in Epistolis med. pract. 1760. Inter praecipuos de hoc morbo scriptores referendus.
D'Apples, de morbo nigro, in Actor. Helvet. T. VIII. vid. etiam auserl. Abhandlung für prakt. Aerzte. T. VII. admodum notabilis observatio.
Duncker Diss. de vomitu cruento, Lips. 1776.
Peil Diss. de vomitu cruento, Duisb. 1771.
Höhn Diss de morbo nigro Hippocr., vomitu cruento, et diarrhoea cruenta. Ien. 1796.
Percival on the atra bilis, in med. and experim. Essays, Vol. II.
Hartmann Diss. de morbo nigro Hipp., Francf. 1786.
Hall Diss. de Melaena, Edinb. 1782.
Bryan Diss. de Melaena, Edinb. 1786.
Girard Diss. de Melaena, Argent. 1789.
Brieude in Recueil period. de Med., T. I, IV. Ad praestantiores quoque pertinet.
Portal in Memoir. de la Soc. Med. d' Emulat. T. II. porro in Mem. sur la nat. et le trait. de plusieurs malad. T. III. et in Recueil. period. T. VI. nec non in Cours d'Anatomie Med. T. IV. (Anatome exquisitior.)
Angeli Osservazioni, ect. in *Weigels* Italien. Med. Biblioth. T. III. 1.
G. A. Richter Med. chirurg. Bemerkungen. p. 115 spp.
Zacchiroli Osservazioni sulla melaena, Imola, 1793. cfr. *Weigel* ital. med. Biblioth. T. III. 1. (egregiae quod ad symptomatologiam.)

Rubini in Giorn. della Soc. med. di Parma, Vol. I. cfr. *Harless* N. Iourn. d. ausländ. Literat. T. X. 2,
Marcus, in suis Ephemerid., d. Heilk. T. III. 1809. commentatio ideo praesertim notanda, quod auctor omnis haematemeseos et melaenae solam causam proximam splenitidem declaraverit vel acutiorem vel occultam lentamque.
Thiebault sur l'haematemèse, Strasb. 1804.
Key in Memoirs of the Lond. med. Soc. Vol. III. (Anatome).
Adair, in med. Facts and Observ. Vol. IV. cfr. Samml. auserl. Abhandl. T. XVI.
Warburg Diss. de haematemesi, Fcfrt. 1803.
Kühn Diss. de morbo nigro Hipp. Lips. 1802.
Wundram Diss. de Melaena, Gött. 1803.
Reil von der Erkenntniss und Kur der Fieber. Tom. III. (ad principes commentarios pertinet).
S. G. Vogel Handbuch zur Kenntn. u. Heil. der Blutflüsse. 1801.
G. A. Richter specielle Therapie, T. III.
Meyer System. Handbuch zur Erkenntn. und Heil. der Blutflüsse. 1804.
Spangenberg Untersuchungen über die Erscheinung, Bildung u. Heilung der Blutflüsse. 1805. Plura ingeniosa et lectu digna de morbo nostro habet.
Lordat traité des hemorragies. Paris. 1808.
Wagner et *Wendelstädt*, duo comment. in *Hufelands* Iourn. d. pr. Ak. T. XVI. 2. XX. 4.
Laennec in Bullet. de la Soc. de Med. (vid. *Harless* N. Iourn. d. ausl. med. Lit. T. VII. 1.) et in Eiusdem opere noviss. l'Auscultation mediate. T. I. Melanoses telae cellulosae et tuberculoides potissimum recenset.
Breschet in s. Comment. *sur les Melanoses*, transl. in *Harless* N. Iahrbüch. d. teutschen Med. u. Chir. T. V. 1. Ad optimas commentationes, etsi non de genuina Melaena hippocratica, sed de Melanosi cellulari tuberculosa ecchymotica etc. agens, referenda.
Merat, in Dictionn. des sciences medical., sub Artic. *Melanose.*
Gohier, compte rendu de l' Ecole veterin. de Lyon. 1811.
Heusinger, in suis Untersuchungen über die anomale Kohlen- und Pigmentbildung im m. K., 1823. Lectu dignissima exhibet praesertim de melanosium Laeneccii, Brescheti, Merati etc. speciebus.
Harless, in sui operis: Neues prakt. System der speciellen Nosologie Tomi II. Vol. 1. (etiam sub titulo: Handbuch der ärztlichen Klinik. III. Band.) 1826. In hoc opere Praeceptor pie colendus novo ordine systematico genus Melaenae eiusque species varias exposuit, denuo condidit atque digessit. Atque hae ab ipso statuuntur Melaenae Species et Varietates:

Spec. I. Melanosis diffusa et *haemorhoica abdominalis.* Melaena in sensu strictiori, s. morbus niger in sensu latiore (Morbus niger *Hippocratis*).
Varietas 1. *Melanosis lienosa et gastrica haemorrhoica.* Vomitus niger in sensu strictiore. Mel. *Hippocraticae* Species *prima.* Var. 2. *Melaena haemorrhoica hepatico-intestinalis.* Melaenae *Hippocrat.* spec. *secunda.* Ipsa rursus aut *A. atra bilis* veterum, ac etiam *fluxus hepaticus*, aut *B.* Melaena *intestinalis* strictius sic dicta, s. *Haematorrhoea alvi melanoseptica.*
Spec. II. Melaena pseudoplastica, *tuberculoides*, et *saccata.*
Spec. III. Mel. fungosa, s. *Fungus haematodes.*
Spec. IV. Carfunculus et *Anthrax nigricans* et *pestilentialis.*
Spec. V. Sphacelismus spontaneus.

I.

Melaenæ Hippocraticæ genuinæ Imago et Diagnosis.

---

§. 1.

Morbi nigri imago, quam primo loco exponere iuvat, ex *Hippocrate* ipso desumenda erit. Nam si ex aliis, praesertim e recentioribus auctoribus illam desumere velles, non aeque puram sed varie mixtam plerumque invenires, et facile in periculum incurreres, illam cum aliorum morborum facie confundere, qui quod ad phaenomena et quod ad ipsam naturam a morbo nigro, etsi huic quidem similes esse videantur, tamen magis minusve discrepant.

§. 2.

Morbi nostri species, sicut omnes reliqui morbi ab *Hippocrate* depicti, solummodo quod ad symptomata differentias exhibent; siquidem Hippocrates ipse morborum tantummodo phaenomena respexit, quum differentias inter illos statuere vellet. Interioris autem illius naturae vix curam habuit; neque cadaverum sectiones, quas haud fecit, aliquid huc facere potuerunt. Nihilominus tamen morborum sedem respexit; hoc quippe a medicina empirica et mere observatoria haud alienum habitum est. Sic e. g. praeter morbos chirurgicos organorum in scriptis Hippocraticis morbi cerebri, faucium, hepatis, lienis, renum etc. nobis occurrunt. De morbi nigri sede tamen causisque in iisdem scriptis non specialius agitur: substitit potius Hippocrates in illius phaenomenis et signis diagnosticis describendis, sicut nunc fusius monstrabimus.

§. 3.

Suscipiam nunc primum ex ipsius *Hippocratis* textu sensuque, argumenti dispositionem, quam in prooemio dixi, secuturus, melaenam describere; tum autem aliquanto specialiorem eius dare picturam, porro aliquot morbos, melaenae multis titulis adfines genereque cachexiae vere cognatos, tum cum m.

nigro comparare, tum ac ipso disiungere, ut exinde melaenae verae diagnosis certior evadat, idque praesertim ratione habita scorbuti, splenitidis, morbi caerulei, et fluxus hepatici. Ad eundem diagnoseos finem porro rationem habebo extispiciorum in melaena sicut in quatuor hisce adfinibus morbis institutorum. His addam prognostica, ex ipso Hippocrate maxime. Postremo morbum nostrum epicriseos loco aliquibus theoreticis corollariis super genesi et quam dicunt essentia sua illustrare studebo.

§. 4.

Hippocrates (aut quisquis Auctor operis huius fuerit) in libro II. *περι Νουσων* Sect. 70, sq. tres morbi nigri *species* distinguere molitus est. Haec autem sunt ipsius verba, in linguam latinam translata:

1. *Μελαινα νõυσος* *).

„Nigrum vomit veluti faecem, quandoque cruentum, quandoque velut vinum secundarium, quandoque velut polypi atramentum, quandoque velut acetum, quandoque velut salivam et pituitam, quandoque bilem cum virore pallidam. Et ubi quidem nigrum cruentum vomuerit, cadaveris foetorem refert; et fauces et os a vomitu aduruntur, et dentes hebescunt, et id quod vomitu reiectum est, terram elevat (bullis). Et postquam vomuit, paululum melius se habere putat. Et neque sine cibo esse, neque ampliorem cibum ferre potest. Verum ubi sine cibo manet, viscera sugunt (*τὰ σπλάγχνα μάζει*) et salivae acidae sunt. Quum vero cibum accepit, gravitas in visceribus est,

---

*) Textus graecus in *Lindenii* editionis *Opp. Hippocrat.* Tomo II. p. 92, quem *Cel. Harless* ex parte tantum (operis laud. sui T. II. p. 234) interspersis explanationibus reddit, ita sonat: *Μέλαιναν ἐμέει οἷον τρύγα· ὅτε μὲν, αἱματωδες· ὅτὲ δὲ, οἷον τον δεύτερον· ὅτὲ δὲ, οἷον πολύπου θόλον· ὅτὲ δὲ, δριμὺ οἷον ὄξος· ὅτέ δὲ, σίαλον καὶ λάπην· ὅτὲ δὲ χολὴν χλωρὴν. Και, ὅταν μὲν τὸ μέλαν καὶ τὸ αἱματῶδες ἐμέῃ, δοκέει οἷον φονου ὄζειν. Καὶ ἡ φάρυγξ καὶ τὸ ςόμα καίεται ὑπὸ τοῦ ἐμέσματος· καὶ τοὺς ὀδόντας αἱμωδεᾶ, καὶ τὸ ἔμεσμα τὴν γῆν ἄιρει. Καὶ ἐπὴν ἀπεμέσῃ, δοκέει ῥάων εἶναι ἐπ᾽ ὀλίγον. Καὶ οὐκ ἀνέσχεται, οὔτ᾽ ἄσιτος, οὔτε πλεόν βεβρωκὼς, αλλ᾽, ὁπόταν μὲν ἄσιτος ᾖ, τὰ σπλάγχνα μύζει, καὶ τὰ σίαλα ὀξέα. ὅταν δέ τι φάγῃ, βάρος ἐπὶ τοῖσι σπλάγχνοισι. Καὶ τὸ στῆθος καὶ τὸ μετάφρενον δοκέει οἷον γραφείοισι κεντῆσθαι. καὶ τα πλευρὰ ἔχει ὀδύνη, καὶ πυρετὸς βληχρὸς. καὶ τὴν κεφαλὴν ἀλγέει. Καὶ τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν οὐχ ὁρᾶ· καὶ τα σκέλεα βαρέα. καὶ ἡ χροιὴ μέλαινα. Καὶ μινύθει.*

et pectus ac dorsum velut stylis vel aciculis pungi videntur, et dolor tenet latera, et febris debilis est, et caput dolet, et oculis non videt, et crura gravantur, et color niger fit, et sic aeger consumitur. — — Et una cum vigentiore aetate (*ἅμα τῃ ἡλικιῃ*) aufugit etiam morbus, aut etiam cum ipsa aetate provectiore senescit. Si vero color cutis prorsus ad nigredinem accessit, homo commoritur."

2. *Ἄλλη μελαινα νοῦσος* *).

„Subfulvus (*ὑπόπυσος*) et gracilis (*ἰχνὸς*), et oculis cum virore pallidis fit, et tenuem cutem habet, ac debilis est. Quando autem tempus amplius progreditur, tanto morbus amplius affligit. Atque vomit omni tempore velut stillamentum modicum, ad duorum poculorum parvorum mensuram, et frequenter etiam cibum, ac una cum cibo bilem et pituitam: et post vomitum dolet totum corpus, aliquando etiam antequam vomat. Et horrores tenues ac febris tenent, et post dulcia et oleosa maxime vomit."

3. *Ἄλλη σφακελωδες* **).

„Sphacelosa species. Alia quidem omnia eodem modo patitur. Verum grumos bilis concretos vomit; et per alvum similia eiicit, postquam ciborum faeces excreverit."

§. 5.

Quum comparemus hasce tres morbi nigri species ab Hippocrate descriptas, aut potius duo tantum priores (relicta tertia nimis obscura specie)

---

*) L. c. pag. 95. *Ὑπόπυρος, καὶ ἰσχνὸς, καὶ τοὺς ὀφθαλμὲς ὑπόχλωρος γίνεται. Καὶ λεπτόδερμος καὶ ἀσθενὴς τελέθει. Ὅσω δ' ἂν χρόνος πλειων ῆ, ἡ νε͂σος μᾶλλον πονέει. Καὶ ἐμέει πασαν ὥρην ὁιον ϛαλαγμὸν ὀλιγον κατα δυο βρόχθες· καὶ τὸ σιτίον θαμινά, καὶ συν τῳ σιτίω χολην καὶ φλέγμα. Καὶ μετα τήν ἔμεσιν ἄλγέη το σωμα πᾶν, ἐτι δ' οτε καὶ πριν ἔμεσιν. Καὶ φρίκαι λέπται, καὶ πυρετὸς ἴσχει. Και προς τα γλυκέα καὶ ἐλαιώδη μάλιϛα ἐμέει. — Ἡ δὲ νε͂σος θανατῶδες μεν ἐ, ξυνκαταγηράσκη δὲ.* Morbus hic certe non ad melaenam veram pertinet, sed proprie atrabiliaribus est.

**) *Τα μεν ἀλλα τα αὐτα πάσχει, ἐμέει δὲ θρομπες πεπηγότας χολῆς. Και κατω ὁμοιως, ἐπην τα σιτία ἀποπατήση.* Ex hac brevissima nimisque manca huius speciei adumbratione conjiciendum est, hac ipsa melaenam non talem, qualem Cel. *Harless* l. n. p. 242. sistit, sed potius secundae speciei varietatem mucosam denotari.

non liquet, quo iure secunda locum, quem tenet, occupare possit. Uni enim et alteri solummodo fere emesis communis est, cetera phaenomena plane dissimilia videntur, et id etiam, quod vomitu rejicitur, in utraque non simile. Rem autem acutius perspicienti verosimile videtur, speciem illius morbi secundam quasi introitum et prodromum primae esse habendam. Primis quippe verbis, quibus species secunda describitur, etsi ratione imperfecta, habitus sic dictus atrabiliarius, ille nempe, qui ad morbum nigrum disponit, depictus est.

§. 6.

Ut enim nunc morbi ipsius, quales a nostri temporibus auctoribus describitur, qualemque ipse ego observavi, initia, faciem, indolemque *generalius* primum adumbrem, comparatione facta cum Hippocratis textu, haec notanda veniunt. Constitutio atrabiliaria adest: cognoscitur ex corporsi habitu gracili, cutis colore helvo-atro, icterico, pilis fuscis, oculis tristibus, melancholicis. Paroxysmi hypochondriaci et hysterici haud raro occurrunt; cutis calor facile excitatur; incalescit, anxietate multum vexatur; sensibilitas, praesertim abdominalis, alterata; facies cachectica, pallida, livida; oculi annulis circumdati; corporis integumenta laxa. Phaenomena adparent, quae morbos organicos lienis, hepatis vel aliorum abdominis organorum comitari solent. Borborygmi, flatulentia, indigestio haud desunt; alvo tarda, sensationibus dolorosis in abdomine aegroti vexantur; nec minus fame ardenti, oppressione circa praecordia, lassitudine, debilitate, et hypochondriasi materiali laborant. Abdomen tensum, pressui resistens, regiones hypochondriacas tumefactas, hepar et lien mole aucta invenies. Homines hac constitutione fruentes vitam degerunt sedentarium, corporis exercitia abhorruerunt, febribus intermittentibus, hepatitide aut splenitide imperfecte resolutis laboraverunt; gravi aegritudine aut solicitudine adfecti et ad iram praeprimis proni sunt; hypochondria vera, arthritis atonica, haemorrhoides anomalae persaepe apud hos inveniuntur. — Constitutio hic descripta apprime est, quae ad morbum nigrum disponit. Causa occasionali adveniente, aut propria evolutione, et adauctione, hac constitutione praesente, *prodroma* se manifestant: aegrotus vomit bilem et pituitam, obstru-

ctione alvi laborat; nunc horrores, nunc frigus eum invadunt, lassitudo et debilitatis sensus, abdomen intumescens, hic et illic pulsans, id quod non solum ab aegroto sed et ab alio quovis manum admovente percipitur. Locus pulsans regio lienis quamplurimum est, et praeprimis tumidus esse solet, praeterea pressione dolet; dolores spastici ventrem torquent. — Denique morbus in pleno vigore intrat.

Symptomata *efformati* morbi *Hippocrates* brevibus tantummodo verbis pinxit. Symptoma primarium ipsi est vomitus niger, veluti faeces; quae autem vomitu reiecta sunt, aut pituita aut saliva aut bile viridi constant, vel vini faecibus, vel atramentis aequant, acria sunt sicut acetum, nunc cruor iis admistus est etc. „In intermissionibus, postquam vomuit, paululum melius se habere putat; sine cibis esse nequit; tunc dolent intestina et salivae acidae fiunt; sed et multum edere nequit; tum sensus gravativus in abdomine, dolores pungentes in pectore et dorso, dolores in regione epigastrica, febris, cephalaea, vertigo etc. exoriuntur.

Postquam aegrotus massam supra memoratam vomitu eiecit, aut paroxysmo morbi omnino finito, alvus adstricta fit. Haud raro quidem occurrit, inter paroxysmum excrementa aut humores intestinales aut flatus ex ano exprimi. Haec autem in intestino recto aut crasso accumulata fuerunt, et expelluntur partim ob musculorum abdominalium et diaphragmatis convulsivos fere contractiones, partim ob sphincteris ani paralysin momentaneam. Obstructio alvi per duos ad quatuor dies persistit; clysteribus primo et secundo die tolli nequit; denique autem excretiones sequuntur tenaces, piceae, nunc magis pultaceae, nunc firmiores; inter excretiones tales aegrotus haud raro lipothymia adficitur. Excretiones hae omni nycthemero una aut altera vice, et ita quidem per duos ad sex dies redeunt, et hoc modo sensim paroxysmus finitur.

§. 7.
ULTERIOR MORBI EXPOSITIO.

Haec quidem morbi nigri pictura, qualis a Hippocrate nobis est relicta, singulis adhuc lineamentis specialius ulteriusque erit perficienda. Ad hunc finem copia non solum mihi facta est casus exquisitioris melaenae genuinae observandi, cuius historiam fere omnem continet se-

quens pictura, sed licuit quoque uti observatis notatisque amici et olim commilitonis, nunc medici practici dexterrimi et fidissimi. Ordiendum autem est a primis morbi seminiis, sive prophasi, imminentisque nuntiis s. prodromis, et posthaec crescentis progredientisque morbi phaenomena diagnostica erunt dilucidanda, prognostica demum subiungenda.

§. 8.

PROPHASIS MORBI.

Homines macilenti, teneres, fibra sicca et stricta, capillis nigris, constitutione atrabilaria, animo anxio, temperamento melancholico — sanguineo aut cholerico praediti, onania debilitati, vitam sedentariam degentes, sutores, ludimagistri etc., qui terrae in regionibus profundis, paludosis, umbrosis, in aedibus tenebrosis, humidis, sine aëris puri renovatione habitant, variis animi commotionibus, angori, terrori, irae, curis, sollicitudinibus obnoxii sunt, animum multum intendunt, noctes frequentius pervigilant, cibis crudis, male coctis, incoctis, corruptisque fruuntur, spirituosis abutuntur, pedes atque abdomen saepe refrigerant, imprimis hoc morbo infestantur.

Fiunt primum adspectu pallidi, cum cuti laxa; laborant alvo adstricta, excretiones sanguinis naturales e. g. catamenia non procedunt. A medico rudi fortasse adhibentur emetica violenta, laxantia drastica, emmenagoga vehementissima, ita ut symptomata enumerata augeantur. Producitur fortasse vi medicatrice naturae febris intermittens, quam vero medicus improvidus imprudenter repellit, sanguinemque in venis constrictis coercet.

Coenaesthesis iis quoque infestatur sensatione hypochondriaca, hysterica etc., perdurat morositas, vitae taedium etc.

Facies fit flavescens, subviridis, vires indies franguntur, artus relaxantur, abdomen intumescit.

§. 9.

PRODROMI, ET MORBI INITIUM.

Interea aegrotus annum XXX circiter explevit. Ciborum appetitus imminuitur, aut nonnunquam bulimus aegrotantem aggreditur; alvi excretio evadit irregularis, accedit ciborum fastidium, ructu saliva acida, amara, rancida sursum provenit, interdumque intrat vomitus; intestinorum inflatorum bor-

borygmi audiuntur; mussitant, torminibus, doloribus colicis occupantur; regiones lumborum, epigastrium et hypochondria, praesertim autem sinistrum, sensationibus dolorosis afficiuntur; oriuntur spasmi abdominales.

Corporis habitus cachecticus et marcescens, facies pallida, exhalatio foetida, urina parca, turbida saepe atro-rufa et foetida, horrores, cardialgia, anxietas praecordialis, palpitatio cordis testantur, aegrotum malo gravi laborare.

Dolor pungens in hypochondrio sinistro (ut plurimum) accedit, et per menses increscit, angor et anxietates circa praecordia augentur; increscit debilitas et nunc saepius in lipothymiam transit; facies lurida fit, cum plumbeo scoeruleo circa oculos colore.

§. 10.

PAROXYSMUS.

Tandem vero viribus admodum debilitatis et totius corporis insigni defatigatione aucta, subveniunt dolores acuti pressorii et spastici abdominis, dorsi et pectoris; extrema frigent, tremunt, sensationemque amittunt, pulsus fiunt parvi, celeres, atque intermittentes, vacui, vix sensibiles, praecordia constringuntur, vapor calidus per oesophagum adscendit, accedente susurro aurium, vertigine et lipothymia. Mox nausea brevi ac etiam desidendi necessitate correptus aeger vomit, vel repente, vel post praegressas vomituritiones, atque simul vel brevi post alvo excludit materiem illam, a qua morbus nomen habet; atque sic per aliquot dies (plerumque intra 2—6 dies) aliquoties pluriesve utraque excretio redit. Haec, quam excernit, materia picea est ac *semper* nigra, immo quandoque nigerrima, haud raro acerrima, rodens, nunc acidum nunc putridum redolens, nunc faecis, nunc cruoris, nunc sedimenti pulveris fabarum *coffeae* tostarum (quale in decoctione harum fabarum obvenit), nunc picis nigrae liquidae indolem assumens, cibis male digestis, bile, pituita etc. commixta. Vomitus, qui etiam *semper* nigricante colore est, saepius, modo non semper, initio levaminis sensu stipatur. Rarius idem in diarrhoea cruenta accidit, quippe quae crebrius, praesertim quum saepius redeat, syncopen post se habet.

Quantitas materiae nigrae sanguinae tum per os tum per anum eiectae saepe enormis observatur, a libris 4-6 usque ad libr. 13-17 intra paucos dies. (*Solenander*, *P. Frank*, *Gaudichon;* cfr. *Jmm. Meyer* Handb. d. Blutflüsse).

§. 11.

SENTENTIAE AUCTORUM DE MELAENAE NATURA ET SEDE.

Haud pauci viri acutissimi nuperiori novissimoque tempore de morbo nigro Hipp. multum disputarunt, opinionumque varietatem non modo sed diversitatem tantam circa illius naturam, causamque proximam, materiae nigrae fontes sedesque etc. protulerunt, ut rem adhuc valde controversam relinquerent. Sicut plerique iam antiquiores, ita etiam recentiores haud pauci melaenam haematemeseos nomine tituloque simul comprehendunt; ut adeo vomitum cruentum atque morbum nigrum synonymice tamquam unum eundemque morbum ad cachexias putredinosas attinentem pertractent; in quo tamen nimis generaliter admittendo, et ita conditiones varias, quibus uterque morbus in singulis utique multum inter se differre potest, praetervidendo, admodum falluntur *). Ipsi adeo morbi Hippocratici n. observatores praestantiores classicique, *Fried. Hoffmann*, *Lorry*, *Morgagni*, *Tissot*, *Schrader*, *Portal*, *Gesner*, *G. A. Richter* sen, *P. Frank*, non prorsus a tali commixtione utriusque morbi synonyma abstinuerunt, etsi ii minime absolutam et constantem vomitus cruenti et morbi nigri Hipp. aequalitatem professi sint. Rectius distinxerunt utrumque *Reil* **), *Zacchiroli* ***), *Rubini* †), *Haase* ††), *Hartmann* (1786), *Kühn* (1792) *Hoehn* (1796), *Warburg* (1803), D. *Vorländer*, (Bonnae, 1823), in Dissertationibus suis. Neque ii tamen in eo prorsus convenerunt, an morbus niger solummodo lieni sanguinique lienis et vasorum brevium venoso, aut an simul ventriculo et intestinis, vasisque mesenterii et intestinorum sanguineis competat, aut an hisce magis proprie nisi principaliter, aut denique hepati simul sit tribuendus. Neque proinde lites ad amussim compositae sunt, quae iam antiquitus et usque ad

---

*) Cfr. de hoc errore *Harless* l. m. pag. 229.

**) Von der Erkenntniss und Kur der Fieber, Tom. III.

***) Osservazioni sulla Melaena, Imola 1793.

†) In *Harless* Iourn. d. ausländ. med. Literat T. X, 2.

††) Ueb. d. Erkenntn. u. Kur der chronischen Krankheiten, T. I. — Commentatio haec Cel. *Haasii* de melaena, super in indice litter. casu tantum omissa, prae aliis egregia est.

novissimos dies de natura materiae nigrae vomitu et alvo eiectae, an sanguis sit vitiatus, dissolutus, aut an potius bilis sit alterata sanguineque aliquali tincta, movebantur. *Sanguinem* esse hanc materiem, saltem principi et maxima sua parte, hodie a plerisque statuitur, praesertim a modo laudatis auctoribus, venosum scilicet, corruptum, ad putredinem proclivem, oxygenio destitutum, carbonico vero nimis abundantem. Hunc sanguinem potissimum ex liene vasisque brevibus prorumpere, ex parte tamen etiam ex hepatis venis, vel ex ea systematis venae portarum parte, quae ad hepar attinet, iam pridem existimatum est, atque iam saec. XVI et XVII. *R. Columbi, Dodonaei, Cratonis*, et serius *Bartholini, Boneti, Morgagnii*, nuperius autem *Portalii, Zachirolii, Rubini, Nauhemeri* *) investigationibus extispiciisque sustentatum.

Novissime hanc ipsam sententiam novis argumentis observationibusque, sed mutata aliqua theoria de vomitus cruenti causa proxima, confirmare studuerunt, post egregium *Petrum Frank* (Epitom. T. V, 2.), *Marcus* et *Spangenberg*, siquidem praesertim *prior* horum cuicunque vomitui cruento *lienis inflammationem* aut acutam aut chronicam subesse contendit. Distingui exinde vult uterque duplicem haematemeseos, sive quod prorsus idem censent, melaenae speciem, acutiorem, quae splenitidis acutae assecla signumque sit, et chronicam, (morbum nigrum Hipp. proprius sic dictum), quae a lenta lienis inflammatione (sive paraphlogosi) pendeat. Ad hanc sententiam, quae melaenam mere tamquam huius splenitidis chronicae imperfectae symptoma progeniemve exhibet, proxime accedunt *G. A. Richter* **), etsi is prius magis ad melaenae ex hepate, sive ex bile atra originem amplectendam inclinaverit, nec non *Cel. Haase*. — *Bilem* vero maxime fontem esse istius materiei nigrae, scilicet vitiatam, subputridam, aliquo sanguine dissoluto mixtam tinctamque, vetustioris aetatis communis erat opinio. Et adhuc recentiori tempore aliqui medici clariores, e. gr. *Lieutaud, de Haen, Stoll*, hanc amplexi sunt; nec non ipse *Fourcroy* analysi chemica hanc materiem inquirens, eam magna parte biliosae naturae invenit. In

---

*) Diss. de vomitu cruento, maxime ab obstructione lienis et atra bile orto, Mogunt. 1775.

**) In sua *Therapia speciali*, Tom III. Aliter prius sensera in suis *med. chir. Bemerk.*

huius sententiae auctoritatem olim ipse Hippocrates vocari suevit; siquidem illi, qui bilem accusabant, Hippocratem morbi sedem in hepate posuisse aiebant. Ast ille de m. n. sede nullo modo verba fecit, et nihil nisi phaenomena descripsit. Id quod iure suo isti obiecerunt, qui massam eiectam sanguinem esse putabant, in eo licet dissidentes, an is sanguis arteriosus, sic (*Portal* et *Reil*), an venosus, (sic *Stukeley*, *P. Frank*, *Sprengel*), aut an uterque simul sit (ita *Haase*, *Spangenberg*, aliique). *Hippocratem* enim morbi huius causam proximam in hepate collocare non voluisse, ex eo probant, quod in libro *περι των ἐντος παθων*, ubi sectionib. XXX — XXXII de hepatis morbis agit, morbi nigri tamen mentionem nullam fecerit. Idem porro sect. XXX de morbo hepatis ex atra bile tractavit, sed de morbo nigro ibi non locutus est. Contra sect. XXXV de lienis morbo a sanguine ita loquitur: „quum enim repletus fuerit splen sanguine, erumpit in ventrem et dolores acuti in splenem incidunt etc. Color autem corporis est plumbeus etc., et quae primum infra secedunt, sanguinolenta sunt et aeruginosa: et venter durus subest, et splen velut lapis est etc.“ Morbi nigri expressiorem autem mentionem et hic non fecit.

§. 12.

Denique nova litigiorum de morbi nigri sive potius de melanoseos in genere natura, origine, et sede movendorum copia data est novissimis pathologorum supra praesertim laudatorum in Galliis, *Laennecii*, *Brescheti*, *Merati*, *Baylii*, *Aliberti*, *Gohierii*, expositionibus de melanoseos localis, extra lienis ventriculique et intestinorum vasa, in tela cellulosa, musculorum textura, ad glandulas et cutem etc. proventu, eiusque modo tuberculosa, modo lamellosa, modo medullosa quasi, modo saccata figuratione. Etenim eiusmodi novorum melaenae specierum sive varietatum, singula viscera, organave alia vel etiam tunicam cellularum adiposam persaepe absque ulla functionum vitalium naturaliumque turbatione et absque sanguinis in vasis circumvehentis notabili dyscrasia sparsim occupantium, receptione atque communi cum morbo nigro in unum genus coordinatione fieri non potuit, quin notio melaenae ipsius ultra fines hucusque statutos vereque ultra modum iustum et therapeutico usui aptum ampliaretur, neque exigua

exinde ambiguitas pathologiae huius morbi cieretur. Ad hanc tollendam et ad lites de morbi nostri diversitate componendas optime fecit nuperrima Praeceptoris *Cl. Harless* de melaena commentatio, et nova specierum eius digestio (in opere laudato), quam supra ex ipso (in indice litter.) reddidimus. Cadaverum sectiones aegrotorum hoc morbo defunctorum haud quidem non desunt; sed, numero licet pauciore, inveniuntur apud anatomiae pathologicae auctores: attamen difficile erit, ex harum dissectionum inventis morbi sedem determinare, quum opinionum de hoc morbo copia tam magna et diversitas sententiarum tam multiplex utique sit, ut extricare non possimus, quinam casuum, in quibus extispicia exposita sunt, genuini simplicesque, quinam vero spurii vel mixti fuerint, vel alieni, quinam igitur morbi illius veram imaginem obtulerint. Infra tamen (§, 20) summatim exponenda haec extispicia et dissectionum inventa ex auctorum certiorum relationibus subiungenda erunt.

II.

Melaenae Diagnosis a morbis similibus.

§. 13.

MELAENAE DIFFERENTIA A SCORBUTO.

Ad *Scorbutum* verum homines dispositi sunt, qui debili constitutione musculari, sanguinis cruorosi paupertate, defectione virium, et temperamento laxo, phlegmatico conspicui sunt. Inter causas occasionales huius morbi praesertim eminent atmosphaera humida, nebulosa, vaporibus salsis referta (ita in scorbuto maritimo), victus recentis animalis nec non vegetabilis privatio, aut etiam corruptio, ac salsamentorum nimius usus. In tribus stadiis aut gradibus hic morbus decurrit. Symptomata *primi* stadii sunt: lassitudo et inertia insolita, facies pallida, tumida, circa oculos annuli ex caeruleo virides; cutis arida, decolor; maculae helvolae, plum-

beae, lentis magnitudinem fere aequantes, plerumque tamen multo maiores, ad suras, ad crura, ad abdomen, raro ad faciem apparent; ex ore malus odor; gingivae laxae fungosae, prurientes, tumidae, facillime sanguinem emittentes. — Stadium *secundum* decimo aut duodecimo die intrat: artus graves fiunt, genua dolent, intumescunt; fungi articulares; crura, lumbi et dorsum, praesertim ossa, doloribus crescentibus rheumatulgicis concutiuntur; in pectore dolores pungentes, respiratio difficilis; colica; ecchymoses sub cute; ulcera ad suras et ad crura, marginibus plumbeis, laxis, cedematosis, sanguinolentis, excrescentiis fungosis, sanguinem solutum et ichorem foetidum excernentibus, impleta exoriuntur, in gangrenam prona sunt, et haud raro ossa vicina emolliunt sensimque destruunt; pulsus tardus et debilis; urina fusca, turbida; haemoptysis; haematemesis; diarrhoeae sanguineae; haematuria aliaeque haemorrhagiae; gingiva sphacelescens, nigrescens; dentes mobiles, defluentes; alveolorum et maxillarum caries saepe accedit; vulnera et ossium fracturae ex longo tempore sanata sponte iterum aperiuntur; exercitia levissima in eiusmodi aegrotis lipothymias provocant. — In stadio *tertio* debilitas maximum attingit gradum, respiratio difficillima, haemorrhagiae summe debilitantes, odor circa aegrotum foetens; frigora continua fere, color caeruleus, ater; artuum paralysis, tabes, icterus, hydrops, convulsiones, febris putrida consummata.

§. 14.

Exinde differentiae inter morbum nigrum et scorbutum genuinum eae elucent:

a. Praedispositio differt; prior habitum atrabiliarem, posterior habitum laxum, cachecticum ostendit.

b. Causae occasionales prioris morbi sunt omnes res, quae in abdomen et praesertim in systema portarum nocenter agunt; aer depravatus et alimenta inertia et corrupta posteriorem magis adducunt morbum.

c. In morbo nigro debilitas vera exoritur post vomitum et post excretiones alvinas; in scorbuto contra debilitas symptoma morbi est, haemorrhagias iam antecedit, iisque solummode augetur.

d. Ecchymoses subcutaneae ad morbum nigrum non proprie pertinent.

Ubi talis in eo obvenit, apparet nigra, decolor, in cute late dispersa, non maculis singulis determinata est, sanguine extravasato non gignitur, sed rete Malpighii eius est sedes et fons.

e. In morbo nigro gingivae praeprimis non adficiuntur, quod tamen in scorbuto.

f. In scorbuto haemorrhagiae e gingivis, e naribus etc. proveniunt, per alvum et per emesin vero non nisi in ultimo stadio.

g. Massae in morbo nigro tam per os quam per anum excretae, picae sunt et nigrae et tenaces; in scorbuto, quam haemorrhagiae in canali cibario proveniant, sanguis emissus fluidior, venosus magis quam niger, atque primo adspectu revera sanguis esse noscitur; massa in morbo nigro deiecta aqua dilui debet, priusquam sanguis in illa distingui possit.

h. Si in morbo nigro ulcera ad extremitates inferiores adsunt, solummodo accessoria aut occasionalia haberi debent, cum contra ulcera scorbutica persaepe necessarie prodeant, ac etiam signis essentialibus propriis facile dignosci queant.

§. 15.

2. DIFFERENTIA MELAENAE A MORBO CAERULEO.

Cyanosis seu caeruleus morbus fere semper tantum in aetate iuniore invenitur, rarissime in adultis. Hoc morbo aegrotantes plerumque ante tertium aetatis annum moriuntur; raro ad undecimum usque ad decimum octavum annum perveniunt; rarissime hanc aetatem superant. Jam ab initio cernitur hic morbus colore corporis caeruleo; hic color in illis superficiei locis magis saturatus apparet, in quibus cutis tenuis vel epithelium est. Labia et oris superficies interna semper coerulescunt, nec minus digitorum apices; caeterae corporis partes variant. Facies cyanopathia laborantium propria gaudet forma et ad aethiopicorum genus vergit; extremitates digitorum, tam manuum quam pedum, capitatae sunt et baculis, quibus tympana pulsantur, similes. Omnis corporis situatio, qua respiratio aucta accersitur, colorem caeruleum auget; ergo post coenam, inter corp. motionem, post potus spirituosos sumptos,

etc., coeruleores videntur aegroti; lipothymiae haud raro obveniunt; lassitudo et debilitas musculorum magna adsunt; actiones cordis anomalae, pulsus plerumque irregulares, haud raro respiratio irregularis et difficilis, spasmi et convulsiones saepe non desunt. Haemorrhagiae, si accedunt, e naribus aut e pectore prodeunt, rarissime e ventriculo aut ano.

§. 16.

A morbo nigro ergo morbus coeruleus facile sequentibus discernitur:

a. Morbus niger in media et in provectiori aetate exoritur, dum morbus coeruleus iuniori aetati proprius est.

b. Formas specificas faciei et digitorum apicum morbus coeruleus habet, morbus niger autem non habet.

c. Respiratio difficilis, lipothymiae, pulsus et cordis actio irregularis ad morbum nigrum tantum inter paroxysmos, ad morbum coeruleum autem causa quavis levi accedunt.

d. Nec vomitu nec alvo nigra materies eiicitur in m. coeruleo.

§. 17.

3. DIFFERENTIA MELAENAE GENUINAE HAEMATEMETICAE A FLUXU HEPATICO.

Phaenomena *fluxus hepatici*, quem omnino cum Perill. *Harless* inter generis melaenae varietates referre non dubito, etsi is neutiquam cum genuina m. haematorrhoica per se confundi debeat, haec sunt: ter aut quater inter 24 horas fluidum sat copiosum aequaliter mistum bruneum, subrubicundum, vel ex luteo sanguineum, loturae carnis simile, aut sine excrementis aut cum illis commistum per alvum excernitur. Raro nec necessario tormina vel tenesmus aut vomitus hanc excretionem concomitant. Morbus per menses aut per annos durare potest. Facies aegroti pallida, cachectia, flava; marasmus; anxietas; dolor obtusus in regione umbilicali; abdomen tumet, sitis aucta etc. Febricula lenta adest, quae sensim in tabidam transit.

Exinde criteria diagnostica haec imprimis apparent, etsi saepius obscuriora.

a. Vomitus in fluxu hepatico raro occurrit; morbum nigrum vero constanter et gnomonice comitatur.

b. In fluxu hepatico alvo excreta loturam carnium referunt: in morbo nigro picea, nigra, tenacia sunt.

c. In morbo nigro symptomata repente sub phaenomenis depictis intrant: in fluxu hepatico paullatim.

§, 18.

4. DIFFERENTIA MELAENAE A SPLENITIDE.

Vera splenitis acuta oriri quidem solet ex sanguinis accumulatione in vasis lienis tam arteriosis minimis et capillaribus, quam praesertim venosis copiosissimis, ,data causa irritante sive interna sive externa subito lienem afficiente, phlogosin ciente; eaque semper inter rariores viscerum inflammationes pertinet. Atque similes omnino sunt dolores pungentes in hypochondrio sinistro, melaenam imprimis praenotantes, iis, quae inter splenitidis signa pertinent. Sed in vera splenitide *acuta* non solum morbi initium et progressus multo celeriores esse solent; febris multo ardentior, pulsus fortior, calor totius corporis, et lienis praesertim, urentior, sed dolor in ipsa lienis regione longe acutior, lancinans magis, tactum pressumve aegre ferens. Quum vero *chronica* et imperfecta lienis inflammatio, sive paraphlogosis, tantum hominem invaserit, tum omnino plurima, nisi omnia symptomata cum iis, quae melaenam enunciant, prorsus conveniunt: ita ut vix tum discriminis locus supersit. Pariter se habet intumescentia lienis ut utriusque morbi symptoma. Immo splenitide chronica fere semper opus est ad corrumpendum lienem et ad producendum morbum nigrum. Attamen vero non solus lien degenerans hunc morbum gignit. Est igitur splenitidis chronicae relatio ad melaenam eadem, quae partis ad totum, caussae ad effectum.

Splenitis praeterea cum febri et frigore primo sub aggressu coniuncta est; sub eius finem denique vomitus cruentos et sedes cruentas observaverunt medici non raro. Hic sanguis vero nunquam tam degener et tam copiosus redditur quam in morbo nigro.

Hac ex comparatione apparet, melaenam omnino cum lienis inflammatione, modo non amplius acuta, coniunctam oriri posse: certeque haec complicatio eo peior est, quo quis proclivior ad vomitum nigrum fuerit, etiamsi non splenitis ipsa, sed lienis hepatisve et intestinorum cachectica labes hunc provocaverint.

§. 19.

DIAGNOSIS MELAENAE AB ALIIS QUIBUSDAM AFFECTIBUS.

Restant adhuc ad comparandum et diagnosin perficiendam alia quaedam profluvia, quae etsi prorsus non ad melaenae genus naturamve pertineant, fortuito tamen errore empirico pro talis morbi nuntiis signisve haberi possint.

Primum quidem quandoque evenit, ut *epistaxi* noctu alicui incidente in eius ventriculum sanguinis copia per gulam promanet, qui sanguis magis minusve digestione mutatus emesi iterum eiicitur. Hirudines, vitri frustula deglutita etc., quoque ventriculum laesisse et haematemesin concitasse dicuntur. Si tale quid accidit, deest primum decursus descriptus morbi nigri, id quod anamnesis docebit, secundum deest cachexia, quam ad naturam melaenae pertinere monstravi, denique invenitur sanguis vomitu eiectus non ita niger, degeneratus, putridus ac foetidus.

§. 20.

Difficilior est discretio ab *haematemesi simplici*, *non melanotica*, e causis sic dictis internis, non mechanicis; tamen vero haec quoque eruenda est. Vomitus illiusmodi cruentus coniunctus est congestionibus activis, arteriosis: morbus niger congestionibus passivis venosis, stagnationibus in venarum systemate. Profluvia sanguinis suppressa e. g. mensium, haemorrhoidum, denique plethora tam universa, quam localis saepius vomitum cruentum simplicem concitant, quam morbum nigrum. Semper ostendit sectio cadaverum melaena mortuorum organa abdominis destructa: ubi haec igitur desunt; ubi arteriae magis quam venae affectae inveniuntur, ibi certe vomitus cruentus activus adfuit.

§. 21.

Res quum ita se habeat, melaena nunquam nisi tempore largiore dato evolvitur; haematemesis non melanotica contra post hebdomadas, post dies, post horas orta, observata est.

Morbo nigro coniuncta est virium postratio, vomitu vero cruento simplici non melaenam facienti erethismus et febris. Sanguinem, quem reddit, coccineum, rubrum, fuscum, coagulatum, quandoque tenuem observavere medici; nunquam vero nigrum, piceum, spissum, foetidum (quod in morbo nigro semper evenit), nisi forte longiore in intestinorum cavo commoratione ac alienatione.

Denique morbus niger inter morbos sporadicos locum tenet, vomitus vero cruentus non melanoticus etiam epidemice grassatus est.

§. 22.

In *haemorrhoidum* fluxu quoque sanguis per anum editur, deest vero semper vomitus eiusdem materiei, nisi interdum haemorrhoidum fluxu suppresso, quem casum iam consideravimus. Est igitur discrimen primum inter hosce morbos, quod nunquam et vomitus cruentus et, quod praeterea maximi momenti, alvus cruenta uno eodemque tempore fiant. Deinde sanguis vasis haemorrhoidalibus eiectus nunquam tam niger, dissolutus, putridus, quam in morbo nigro observatus est, nisi in senibus, quorum fluxus haemorrhoidalis quandoque paralysi recti, mente inscia evenit. Denique in haemorrhoidibus semper ad orificium ani vel in ipso intest. Recto localia quaedam phaenomena, satis nota, adsunt, quae per se in morbo nigro deesse solent. Post explorationem igitur intestini recti, et ponderationem symptomatum reliquorum nemo de certa diagnosi dubitabit.

§. 23.

EXTISPICIA.

Haud praetervidendae denique sunt tum quidem differentiae, tum similitudines, quae inter morbum nigrum ab una parte, et inter scorbutum, morbum coeruleum, fluxum hepaticum, ab altera, ex anatomia pathologica detegi possunt, quantum illas cadaverum extispicis hucusque expiscari licuit. Haec vero de iis notata apud fide digniores auctores inveni:

1. In cadaveribus morbo nigro defunctorum haec obvenerunt: *a.* Sanguinis defectus in vena portarum et in vena cava inferiori. *b.* Degenerationes variae hepatis et lienis; haec organa e. g. marcida, mole modo aucta modo diminuta inveniebantur. *c.* In stomacho minor aut maior, saepe ingens, quantitas sanguinis nigri usque ad libram unam pluresve, maculae nigrae, pressione sanguinem nigrum emittentes, in eius superficie interna. *d.* Intestina extensa, massa nigra, picea impleta, eorum facies interna maculis nigris obtecta. *e.* Vasa abdominalia morbosa: arteriae ventriculi magnae enormiter amplificatae, vasa brevia digiti ad magnitudinem dilatata, venae meseraicae et mesocolicae pariter in enormem ambitum ampliatae, varicosae, sanguine nigro impletae, libere in intestina inosculantes. Vasa haemorrhoidalia nec minus varicosa, amplificataque inventa sunt.

2. Corpora Scorbuto extinctorum haec praebuerunt: Musculi totius corporis, ipsiusque cordis, pallidi, lividi, molles et fragiles; pulmones, lien, et alia viscera fusca, nigricantia, fere soluta; ossa, praesertim eorum epiphyses, sua massa soluta, spongiosa, albida apparent, aut etiamim eorum diaphyses fragiles sunt. Vasa sanguine fusco, helvolo, nigro, soluto impleta inveniuntur. In corporis cavitatibus, in saccis pleurae, in abdomine et in articulorum foveis, fluidum serosum, aquosum accumulatum est.

3. Morbo coeruleo laborantium cadavera exhibuerunt generatim haec: *a.* Vitia cordis varia: foramen ovale apertum; (quo, si in minori gradu adest, cyanopathia non exoritur); communicationes inter ventriculos cordis vasorum immediatas; magnorum ex corde anomalam originem, etc. Minor huius morbi gradus tum prodire potest, quum cordis venae in ventriculum sinistrum sese aperiant (normam hoc esse voluerunt Vieussenius et Thebesius; novissimo tempore idem, sed angustiori sensu, affirmavit Cel. Abernethy), aut si cordis vena coronaria magna non, sicut solet, in dextrum, sed in sinistrum atrium hiat. etc. *b.* Sanguinis non solum venosi sed arteriosi quoque in vasis ipsis colorem istum proprium caerulescentem magis, quam nigrum, illiusque notabilem tenuitatem. *c.* Vitiosam plerumque thoracis conformationem.

4. Fluxus hepaticus in funeribus haec offert scrutanti: plerumque morbos hepatis; eius serosi tegumenti ulcera, abscessus, indurationem, degenerationes, substantiaeque fragilitatem: porro lienis, pancreatis, glandularum meseraicarum, tubi cibarii morbosa alterationem. Inventae quoque sunt, sed raro, vasorum tubi intestinalis varicositates, sicut in morbo nigro. — Haec comparando vidimus, plura omnino in extispiciis horum dictorum morborum multum, quaedam omnino maxime, convenire cum iis, quae in hominibus melaena defunctis cernuntur, alia tamen haud pauca satis differre, inter quae potissimum referenda varicosa vasorum abdominalium degeneratio in melaena, osculis tamen in tubum intestinalem liberis apertisque hiantibus, varicibus ipsis demum disruptis, contra intestinorum lenta exulceratio, quae in fluxu hepatico fere semper locum habet.

§. 24.

QUAEDAM AD NOSOGENESIN MELAENAE SPECTANTIA.

Quae ubique proh dolor in animantium physiologia et pathologia enucleanda mortalium virium infirmitas atque penitius perspiciendi inopia est,

hanc etiam in nosologica morbi nostri demonstratione periclitanda accusare cogimur. Etenim interiores omnium vitae evolutionum et tum sanae tum morbosae rationes aeque ac prima deflectentis vitae vestigia oculum hominis latent. Perscru tamur conditiones, caussas, phaenomena — velut capita mortua; nexum vero et quod intus agat, non nisi ratiociniis iisque sat saepe aberrantibus eruere possumus. Quae scimus, generaliora et levissima, quae nescimus, specialioribus legibus suis sunt definita; et hae sunt quas quaerimus. Hac ex causa saltu mortali quasi ex idea in vitam, ex doctrina in ipsam naturam deducimur. Nihilominus vero homini cogitanti innata est magna cupido hiatum hunc, quanquam saepe phantasia tantum, explere velle. Sed ut evitem hanc scillam, nihil nunc addam nisi quae illustrandorum symptomatum et signorum aliquam vim habere possint.

§. 25.

Perspicuum est, et experientiae convenit, causas melaenam cientes in corpus dispositum ita agere debere, ut ciborum digestionem et huic inservientia organa infestent. Exinde producuntur signa primum in morbi decursu indicata. Animi affectiones deprimentes tam ut causas, quam ut sequelas accusare poteris. Languor et depravatio omnium haematoseos organorum oritur, stagnat sanguis in systemate portarum valvulis carente, et in hepatis arteriolarum rete ad bilem secernendam in innumeros ramulos diducto. Exinde primum hepatica haematoseos parte magis magisque alienata, oriuntur signa primi stadii, quorum supra mentionem feci.

§. 26.

Vasa venosa atonia laborantia, repleta, sanguine in iis stagnante et sensim sensimque accumulato, extenduntur, varicosa fiunt: sentit aegrotus dolores praecordiales, imprimis lienales. Sanguine stagnante neque fabrica organorum, neque natura ipsius sanguinis conservari queunt; est enim character specificus sanguinis portarum, quod facillime immutari, et in putredinem converti possit.

Degenerant lenta vi subinflammationis chronicae organa dicta, atque proinde coenaestheseos illa centra abdominalia, ad hepar, stomachum, lienemque posita, adeo vitiosis sensationibus patiuntur, ut medicus examen profundius atque accuratius negligens, hypochondria laborare pronunciet aegrotantem.

Tanto magis obstupescet, quum morbum, quem in systemate nervorum residere putaverat, subito larvam reliquentem talem formam crudius materialem induere videat. Attamen memoratu dignum est, quod his quoque illam tritissimam sententiam: contraria sese excipere, confirmatam videamus.

§. 27.

Sanguis stagnans, degener, ater, tenax, piceus, dissolutus, putridus, graveolens tandem perrumpit vasa, aut per *διαπήδησιν* excedit e palude cruenta, et in ventriculum atque intestina infunditur; hinc excitat nauseam, emesin, atque per alvum redditur.

Tanta in sanguinis systematis immutatione pulsus vacuos fieri et debiles, perspicuum est; nec minus convenit experientiae, lipothymiam eandem causam generalem agnoscere, quae saepe e. g. inducitur sanguine nimio per venam misso.

§. 28.

Docent extispicia supra (§. 23) brevibus relata illo morbo correptorum, rem vere ita se habere. Unum alterumve organum abdominis degeneratum, in brevius coactum aut ultra modum extensum, aut induratum aut emollitum etc. invenitur. Hepar plerumque maius visum est. Lien vero imprimis mutatus reperitur, colorem album saepe referens, et cartilagineam fere indolem.

Partes systematis portarum, uti iam dixi, varicosae adeoque extensae inveniuntur, adeo ut vasa brevia interdum digiti latitudinem teneant. Vena cava vero quandoque vacua reperta est.

Ventriculus atque intestina monstrant maculas nigras sub pressu sanguinem nigrum emittentes. Interdum etiam continent massam, vomitu expulsae aut per anum eiectae similem.

§. 29.

Arterias nonnulli quoque affectas viderunt, et hoc non repudiat explicationem e natura morbi quaesitam; venis enim sanguinem non debito revehentibus, primum sanguinis transitus in partes solidas, omnisque solidi vivi nutritio depravabitur: tum vero systema arteriarum congestione passiva laborabit, et

morbosum evadat necesse est. Nunquam autem contendam, arterias hoc in morbo prius quam venas pati, id quod in haematemesi simblici saepe occurrit.

§. 30.

Characteres constitutivi huius morbi igitur hi sunt: Laesio organorum abdominis, eorumque functionum languor, qua cachexia sanguinea chronica atonica, sensationes hypochondricae, sanguinis aliquis infarctus et degeneratio oriuntur. Est enim melaena ut brevissimis repetam, morbus haematolyticus chronicus cum sanguinis venosi atri, hydrocarbonici, biliosis elementis saepe adulterati, putridi profluvio passivo s. adynamico, eiusve tam per emesin tam per alvum deiectione repetita, saepe enormi, cum magna virium prostratione et saepe cum lipothymia coniunctus.

---

§. 31.

PROGNOSIS ET HIPPOCRATE.

Epimetri loco ea subiungere denique iuvabit, quae ad *prognosin* melaenae significandam Hippocrates ipse variis locis effatus est. Huc vero inprimis faciunt prognostica sequentia: Aphor. IV, 25. *Ἀιμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν.* Coacar. Praenot. IV. 4. seqq. *πρασοειδὴς δὲ ἔμετος, καὶ μέλας, καὶ πέλιος, πονηρόν. εἰ δὲ καὶ πάντα τὰ χρώματα ὁ αὐτὸς ἐμέοι, ὀλέθριον· τάχιστον δὲ θάνατον σημαίνει ὁ πέλιος καὶ κακώδης, ἔστι δὲ θανάσιμος ὁ ἐρυθρὸς ἔμετος.* cf. Praenot. XII, 11. seqq. Aphorism. IV, 23. *Ὁκόσοισιν ἐκ νουσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ χρωμάτων, ἢ ἄλλως πῶς λεπτυνομένοις, χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοσοι αἷμα μέλαν ἐπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσιν.* Secundum haec loca prognosis pessima; attamen non desunt loca, ex quibus contrarium eluceat. Aphor. VII. 37. *Ὁκόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ην μὲν ἄνευ πυρετȣ, σωτήριονν· εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν.* Est vero morbus niger (initio) plerumque sine febri.

§. 32.

De alvo nigra dixit Hippocrates: Praenot. X. 6. *Τουτέων δὲ θανατωδέστερα ἂν εἴη τὰ (ὑποχωρήματα) μέλανα, ἢ λιπαρὰ, ἢ πέλια, ἢ ἰώδεα, ἢ κάκοσμα.* Et Aphor. IV. 21. *Ὑποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ αὐτομάτον ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα* (cf. Coacar. praenot. VI, 22 et 42), *καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρήματων πλείω, πονηρότερα, ᾗ μᾶλλον, κάκιον.*

Sententiis his omnibus mala prognosis pronuntiatur; meliorem contra dermittit sequens: *Coacar. Praenot.* II, 265. *Οἷσι πόνοι ὑποχονδρίων, καρδίης, ἥπατος, τῶν περὶ ὀμφαλὸν μερῶν, αἵματος διαχωρήσαντος, σώζονται· μὴ διαχωρήσαντος δὲ θνήσκουσιν.*

§. 33.

Hanc prognosin denique auctor morbi picturae subiunxit: *καὶ ἅμα τῇ ἡλικίῃ ἀποφεύγει καὶ ἡ νοῦσος, εἰ καὶ καταγηράσκει ξὺν τῷ σώματι· ἢν δὲ μελανθῇ, ξυναποθνήσκει.* Pendet igitur secundum Hippocratem periculum hoc in morbo, ut brevi sensum reddam, a febre et a colore cachectico; et certe rem acu tetigit. Nam febris indicat, organi cuiuspiam inflammationem aut alium morbum complicantem, quo virium vitalium intemperies oritur, coexistere; color vero ille denotat haematosin morbosam et organa ei inservientia iam quam maxime affecta et destructa, ita ut accessum morbi patiens serius etiam ictero, hydrope, organorum suppuratione, febri hectica etc. consumatur. Verumtamen morbum, quanquam semper gravissimum, non omnino lethalem indicat Hippocrates, quin etiam alvum cruentam *sub signo* melaenam comitantia (Coac. praenot. II. 26 5) ad vitam conservandam necesse esse contendit; id quod cum novissimis quoque experientiis convenit. Expulsione enim sanguinis degenerati, quamvis ipsa omnem interdum modum excedente et tum utique hominum conficiente, mala gravissima ac pertinacissima, criseos salutaris instar, solvi posse, arte scilicet adiuvante, observatum est.

JOSEPHI LICTSCHLAG VITA.

Natus sum anno MDCCCIV Fürthi (haud procul a Novesio); patre Carolo Lichtschlag, et matre Catharina Schmitz; confessionem catholicam profiteor. Prima pueritia sub auspiciis Parentum peracta, anno actaetis XIII in Collegium, quod Novesii floret, susceptus sum. Quatuor post annis Gymnasium, quod Düsseldorpii est, petii, et classi primae sum adscriptus. Semestri vero praeterlapso valetudine maxime adversa domum redire coactus, ibique per aestatem moratus, die II. Novembr., anni MDCCCXXIII, sanitate recuperata in Academiam Rhenanam migravi, et summe Ven. Augusti t. t. Rectore magnifico, ill. Nasse, tunc temporis ordinis medicorum Decano numero civium academicor., artem medicam profitentium, adscriptus sum.

Lectiones, quibus interfui, hae sunt: *philosophica:* Audivi trigonometriam tam planam quum spaericam apud ill. *Diesterweg*; — Aeschyli Eumenides, apud ill. *Naeke*; Logicam apud cl. *Elvenich*; — Psychologiam apud ill. *Brandis*; — Physicen apud ill. *a. Münchow*; — Botanicen apud ill. *Nees ab Esenbek* sen. — Chemiam apud ill. *Gust. Bischof*; — Zoologiam et Zootomiam apud ill. *Goldfuss*; — Mineralogiam apud ill. *Noeggerath*; — Anthropologiam apud ill. *Nasse.*

Ratio vero studiorum *medicorum* haec fuit:

Per octo semestria sedulo interfui praelectiouibus praeceptorum sequentium clarissimorum et pie colendorum: cl. *Weber* de Osteologia et Syndemologia et Neurologia et Anatomia organorum sensuum; — ill. *Mayer* de anatomia generali, et Anatomia cerebri hominis et animalium et de Physiologia; — ill. *Ennemoser* de Pathologia generali — ill. *Harless* de Diaetetica atque Hygieine, de Pathologia generali, Patholopia et therapia speciali morborum auctorum, Balneographia, Pharmacologia, de morbis puerorum et de iis nervorum, de Aretaeo, sicut etiam eiusdem praeceptoris colendissimi disputationibus de rebus medicis, ore latino institutis, interfui; ill. *Nasse* de Physiologia, pathologia speciali et therapia generali et speciali, morbis psychicis, et semiotice; — ill. *E. Bischof* de Medicina forensi, de formulari et de Epizootiis, — ill. *a Walther* de Pathologia et therapia morborum chirurgicorum, de fracturis et luxationibus, de morbis oculi humani, et de operationibus chirurgicis et fasciis applicandis; ill. *Stein* de arte obstetricia universa disserentes frequentavi.

In arte cadavera dissecandi duces mihi fuerunt ill. *Mayer* et *Weber.* Operibus in Xenodochio obstetricio et Exercitationibus obstetriciis practicis in phantomate et foetubus mortuis factis interfui per annum, dirigentibus ill. *Stein, Mayer* et *Hayn.*

In clinico et polinico tam pathologico quam therapeutico per tria semestria moderator mihi fuit ill. *Nasse.*

Clinicum et policlinicum chirurgicum et ophthalmiatricum per semestre auscultando et per annum et dimidium praeticando adii, directore ill. *a. Walther.*

Quibus omnibus Praeceptoribus optimis et de me eximie meritis gratissimum, quem iis sempiternum habebo, animum hic testificor.

THESES.

I.

Omnis Therapiae summus finis est sedare et exspectare.

II.

Nullarum inflammationum visceralium diagnosis fallacior est, quam intestinorum tenuium.

III.

Haec cognitionis Enteriditis tenuium fallacia pendet maxime a dolorum colicorum tum rheumaticorum tum mere spasmodicorum, tum a nimia extensione flatalenta exortorum falsa interpretatione.

IV.

Nulla est Enteritis tenuium absque febre continua absque pulso contracto, quali parvo, etsi non duro at celeri et absque nausea et ad vomitum proclivitate.

V.

Doloris vero sensus ad pressionem et in titus umtationem obortus inter maxime ambigua cuiusve affectionis referendus est signa, etsi minime praetervidendus.

VI.

Non est mera tunicae villosae intestinorum inflammatio.

VII.

Diagnosis omnium inflammationum membranarum internarum certior non nisi in vivis quaerenda est; omnis vero ex cadaverum anatome demum petenda summe anceps fallaxque habenda.

VIII.

Mundities et cataplasmata ad ulcera sananda sufficiunt.

IX.

Fonticulus optime reditum cancri prohibet.

X.

Cataracta est morbus posthumus phacitidis.